R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.

Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

1
2428

SYNCHARMA IN LAVDEM ET HONOrem Clarissimi & Excellentissimi Viri Dn. Martini Kuttig Silesii Patschouini

cum in Celeberrimo & Florentissimo Collegio Patauino Suprema doctoratus laurea in Philosophia & Medicina insigniretur amoris ergò.

Scriptum
A

Michaele Neudorffio Germano Artium & Philosophiæ Magistro Sacrarumq; LL. studioso.

Patauij, apud Laurentium Pasquatum.

RPJCB



ARma virũq; cano (vatũ concedat id ordo
Ac mihi non magno paruis cõponere magna
Fas et iura sinãt:) Tuiscis qui primꝰ ab oris
Ausonias fato terras, Antenoris vrbem
Venit &. Heì multum morbis iactatus & arctæ
Clausa Fortunæ dextra, dominantis atrocem
Barbariei ac deprauatæ mentis ob iram.
Multa quoq; & bello passus, lustraret vt arces
Pimpleæi montis, clarum genus vnde magistrum
Diuini vates, & pleno pectora Phœbo.
Musa mihi palmam memora: quo numine iutus
Quidq; mouens celebrem viuæ virtutis honorem
Hic Daphnes referat sub fronde CVTIGius arte
Insignis iuuenis Lauro parnasside dignus
Dignus Apollineo ferri super æthera cantu
Vrbs antiqua iacet magno subiecta Rodolpho
Austriacos contrà; Patzkau dixere coloni
Piniferis vicina iugis, florentibus oris,
Diues opum, studijs atq; humanissima Phœbi
Hìc primo monstrum: (furiarum sanguine duci
Quod fama est spissum cerebrum, cui pectora muta
Rusticitatis signa; uagum perlustrat & omnem
Pigritie pernix mundum) tam nobile pondus
Inflati uentris, Clario, Musisq; solutum
Audierat, nigri quod fortiter ora Tyranni

Obtundat, ſtygias olim ſubuertat & arces
Pharmaca pæonia miſcens fauſtisſima dextra
Hinc iuuenes alios Cyrrhæo Marte ſuperbos
Venturos cladi inferno. Sic uoluere Parcas.
Id metuens primæ fons IGNORantia pugnæ
Actutum teneras natus Martinus in auras
Ex utero fuerat, cunas fouet illa ſoporas,
Imbuit atq; rudi nato præcordia lacte
Tantus niſus erat patrias augere paludes,
Alter ab undecimo puerum uix cæperat annus
Ingenij uis & præclarum mentis acumen
Iam cerni poterat, cæli præſagaq; uerba
Natalis iam nunc uerbumq; fidemq; uocabant
Quando tener tenero ætatis ſub flore paterno
Iacta elementa ſolo, primas acceperat artes
Ac præſtans animi, ſtudijq; cupidine feruens
Veliuolo Aonias curſu properaret ad oras
Tum Ruditas uigiles uoluens ſub pectore curas
Hæc ſecum; Mene hac arceri ſede repulſam
Lacte meo paſtum nec poſſe tenere puellum?
At ſic fata uolunt; Vel non ſceleratus habendi
Ardor agit magnos? ad dandum munera ſurdos
Nonne poteſt multos piceis ſubmergere in undis
Vnius ob noxam miſerè labentis Adami?
Ille, ſuos nunquam pleno quos ubere pauit

Extimat,

Extimat, igninomum occiſos & mittit ad orcum
Aſt ego quæ natis communis ab omnibus altrix
Et mater vocitor, non quamuis indole clarum
Proſternam puerum, ſeris vllius in annis
Non eat ad noſtros RVDITATIS fama nepotes
Hæc inflammato ſecum fera bellua candens
Pectore voluebat, paribus volitabat & alis
Orbis ad extremos fines, æternus vbi horror
Et conſumpta atra macie crudelis EGESTAS
Manſitat, ac turpes corraſit ceſpitis ædes;
Fatale ſq; ſinu morbos generatq; fouetq;.
Quin membris funeſta ſuis arrodit, & odit
Sordida pigrities quem non delectat amantem.
Huic tremula ſupplex RVDitas ſic voce locuta eſt
Chara ſoror, claro quæ nec de ſtemmate natis
Parcere dura ſoles, regni miſerere paterni,
Cuius ad excidium ſurgit noua rurſus in auras
Progenies, cultos tenditq; ad Palladis hortos.
Reprime ſi qua tui Muſis inimica furoris
Vis eſt fortunis, & viribus exue cunctis
Opprime præſtantem febrili frigore mentem.
Sic tua te virtus hæc, ad ſublimia quæq;
Euehet, atq; ipſi Plutoni proxima creſces
Dixerat hæc Ruditas; lãguẽs ſibi iuſſa capeſſit
Ob maciem ſermonis inops Penuria, nec non

Sic paupertatis cum morbi frigore, vinclis
Aggreditur, mutet patrias inuitus ut oras
Ac aliò fugiens quærat tecta hoſpita tecta.
Nec minus Aſcræis tamen hìc luctatur in aruis
Dædaleasq; Deas ſequitur ſudatq; per artes
Viribus infractis præſtans virtute puellus
Ad Morauas quando ſeſe deportat Athenas
Vtq; ferox nunquam præclaro robore palma
Molè ſuperpoſita cedit, ſed fortiter illi
Surgit in aduerſum, ſic ò ſic tendit in altum
Duraq; magnanimus mõſtri data vincula ſuffert.
Hinc furit Ignorans peſtis; Non vnica tantum
Heus inquit, patriæ ſedis noſtræq; relicta
Eſt nobis vindex, manus eſt robuſtior, illam
Te ſuper inducam, patris & ſocia agmina iũgam.
Nec mora, præpetibus volucris ſecat aera pennis
Fertq; per antiquos ſcelerum veſtigia greſſus
Ad medium mundi centrum, pulcherrima tempe
Sunt vbi, leniflui dulces & fluminis vndæ
Per campos horti lætos ſpaciantur & arua.
Hic expers curæ mundi Regina voluptas
Otia venatur, liquidis & noxium in vndis
Nunc huc nunc illuc corpus laſciua volutat.
Orta ſalo flammæ genitrix, vaga mater amorum
Stat comes à dextris, læuam conſortia praua

Vnà Thyrſigero vini cum principe Bacho
Obſeruant, læti cupideq; ſequuntur euntem
Ambæ funeſtæ facies, puerilibus ambæ
Diræ lues annis, nec non Heliconis alumnis;
Illa tenens ſceptrum celſa ſedet aurea ſella,
Mentitaſq; oſtrum veſtes induta, potenter
Imperat & ſolo quos vult, adducere nutu
Nouit, melliſluis demulcens pectora verbis
Ni ſciat ab nobis ad Muſas quippe daretur
Currere lata via, & cunctas trãſcendere ad artes,
Sed princeps Erebi medium terraq; mariq;
Hoc metnens habitare dedit, munimina iunxit
Inſuper, & linguam finxit modulamine certo
Qua vocet & reuocet, ſecum teneatq; vocatos.
Aſperitas ad quam ſupplex his vocibus vſa eſt:
Delitijs pollens magna o Regina voluptas
(Namq; tibi Natæ ſtygijs qui præſidet vndis
Haud poſtrema Deas doctas cõtra induit arma:)
Solerti ingenio Iuuenis, mea ſpernere caſtra
Cæpit, iam fluidas has præteruectus & oras
Bellerophontæas conſtans ſe portat ad vndas.
Incute vim Veneri, concurrat ad arma iuuentus,
Accenſiſq; animis bello, dircæus alumnus
Bella gerat mecum; Virtus collecta, ſeipſa
Diſperſa aduerſum diffundit fortius hoſtem.

Dixerat.

Dixerat. Ancipiti fera consternata pauore
E solio surgens, partes distorta per omnes
Lumina fert, animos furibūda ministrat et arma;
Arma quibus sensim nullum facientia vulnus
Important tacitum funus mellita venena.
Fit strepitus, lituiq; sonant clangorq; tubarum
Conuocat ad bellum turmas, Venus aduolat, atq;
Addit se sociam Bacho, qui maximus armis.
Agglomerant praui socij, ferit æthera clamor
Omnes ardor agit læto concurrere Marte.
Marte per oppositas qui non certaminis hastas
Carnis at illecebris, verbis & pugnat amicis
Hìc verò quæ te certamina dira manebant
Quæ dubia Veneris flammæ, fluctusq; Lyæi,
Excellens Iuuenis, si iusto ex ordine pandam
Et largo tradam calamo, plus æquo vt oportet
Excrescat liber hic, magnusq; sit omnibus horror
Lecturis; si non dedero, monstrasse sat esto.
Hoc tamen huc addam, tua si non viuida virtus
Vicisset, victorq; tui pius ipse stetisses,
Hostiles nunquam potuisses frangere turmas,
Tollere nec lætum uictura laude trophæum.
Namq; uelut saxum fundo quod constitit imo
Non nisi commotum mouet, & sua robora nescit
Dum iacet; Inualidis omnis sic utitur armis

Qui ſibi non ſeruus ferro decernere ſumit.
Sic vincens ſeſe, nullo vincitur ab hoſte.
Hoc ſubolens, tecum quando Patientia fœdus
Sanxerat, & cunctos duri certaminis æſtus
Aurea ſpes tulerat, patriæ lux inclyta terræ,
Sedulitas amplas tibi monſtrat Apollinis ædes
Ac Anchiſiaden ueluti Cumæa Sibylla
Ex auro ramum; pietas te carpere laurum
Sic docet, & tribuit Lædæa ſigna paleſtræ
Contribuit ſertum, laudes & pæonis omnes.
Hic Romanarum ſedes vbi figere rerum
Autor tam clarus voluit, pernobilis atq;
Extructor Patauii moriens ſua lumina clauſit.
Nec mora iã Veneris q́ minas Bacchiq́ ferebas
Cum te per flammas, & mille ſequentia tela
Impetus exportat, facis & bella, horrida bella
Qualia vel geſſit quondam priameius heros
Ad Troiam, quando pugnax cum fortibus armis
Fuit in aduerſos, telis proſtrauit et hoſtes.
Aut etiam noſtri quæ mouit temporis Hector
Auſtriacus, magnas animo, belloq́ ſuperbas
Emathio quondam profudit ut orbe phalanges.
Corporis & regni ſæuos disiecit is hoſtes:
Aſt animi furias contra tu mille ſtetiſti.
Et debellaſti robuſto pectore peſtes.

Regna

Regna ſibi, multas pariter ſubiecit et oras
Belliger imperij Rector; Tu peſſima mentis
Senſa domas & teipſum æterno funere mactas
Hinc illi quondam victrix quæ ſurgere palma
Dicitur ad clypeum, nullo de ſemine iacto
Vno oculi atq; ictu; Rurſus tibi palma uireſcit,
Hæc eadem, quando Phœbeæ frondis honorem
Theſſalicæq; petis clariſſima præmia Daphnes
Et benè. Depreſſis cunctis namq; hoſtibus atq;
Barbarie fuſa, quæ non ſacra carmina fundis?
Carmina Naſonis quæ certent uerſibus, ipſæ
Quæ pariter Diuæ, Syluæq; feræq; ſequantur.
Poſt ubi uerboſi factus iam maior adintras
Iura ſacrata fori; tantos Facundia riuos
Accipit, hyblæos nimia dulcedine ſuccos
Vincat et, ut reliquos huius Virtutis alumnos
Namq; licet cultis tecum Ciceronis in aruis
Haud ignaua cohors ſtudio contenderit omni
Luctaritq; diu; tamen his ex omnibus unus
Vix tibi præceſſit primus; Tu proximus illi
Factus es, et victam tribuit pars cætera dextram
Sed quo nunc pãdam reliquas ex ordine laudes
Iungere nouiſti Logicus prægrandia certis
Argumenta modis, noſti primordia rerum
Semina, & occultas ignaris reddere cauſas

Nosti quo vastus consistat pondere mundus
Vtq; tonent facto diuulsa tonitrua cælo ;
Quo premat imperio vasto Rex Æolus antro,
Et rursus laxas ventis det iussus habenas,
Cur spissæ nebulæ clari quis sideris ordo .
Quid multis? Sophiæ quantum progressus in arte
Sis, omnes tecum socij testantur, & ipsa
Confirmat Pataui plenis Academia buccis.
Nec tamen actorum requies hìc vlla laborum,
Otia nulla ; sacros felix ad Chloridis hortos
Te fers, Paonios petit & mens diua recessus.
Hìc desperatam moriente è corpore vitam
Hìc animam reuocas , humano in pectore Diuum
Te præstas Phœbi hìc viuacia dona reportas.
Ergo barbarie pulsa Martine triumphum
Duc, cultis animi donis qui stella coruscas
Euinctusq; comas Lauro Phœbeia, gestas
Munera, quæ nullo fatorum numine Parcæ
Arripient, tristis nullius Erinnys & ira
Dissoluet, felix felici munere gaude .
Hostibus oppressis lætum Martine triumphũ
Duc duplicis serti Doctor, quem viuida virtus
Ac probitas mergi, vastaq; voragine claudi
Non passa est, felix felici munere gaude
In patriam remeans lætum Martine triumphũ

Duc, cui Sedulitas, Pietas, Patientia, ſummas
Monſtraruntq́ vias, Phœbi vexere et ad arces,
Sunt quibus æternæ præconia viuida famæ.
Sis felix & tam felici munere gaude.
Inq́ dei laudes fratriſq́, tuamq́ ſalutem,
Quicquid agas, fidens peragas, nil cætera cures
Cuncta DEI laudis pariter ſunt armaq́, virq́.
At vos qui clarias, vigiles ſudatis ad vndas,
Arma virumq́ pij cupida hunc cognoſcite mente
Eius & inſtudijs veſtigia clara ſecuti
Victricem Lauri quondam geſtate coronam
Ianua ſic famæ patet & ſic itur ad aſtra.
At labor eſt? Gaudent clarentq́ labore Camenæ.

Laus Deo.

F I N I S.

Superioribus Facultatem Impetrantibus

Anno ab Effracto Serpentis Capite. M. D. XCV.

~~H595~~
~~N479s~~
~~V.1~~

J595
N479S
V.1